UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis Presbyteri, Scripturæ Selectæ

Speranza, Giuseppe

Coloniæ Agrippinæ, 1659

83. Cum misericordibus videtur non exactè, sed cursim (ut dicitur) Deus rationes exquirere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44265

Visual Library

Pagnin.

contis. Pagninus: *Levabunt vos in ſpinis,* hoc eſt, ipſæ veſtræ divitiæ vos concremabunt.

Iudic. 8. *Gedeon cur viros Socoth ſpinis contrivit.*

Gedeon, ut perficeret quandam victoriam, petiit panem à viris Socoth, qui dare noluerunt. Ex bello reverſus *Tulit ſpinas, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Socoth.* Juſta punitio, ut ſpinis divitiarum miſericorditer non elargitarum pungerentur, ac necarentur.

D. Ambr.

S. Ambroſ. Parietes auro veſtitis, homines veſte nudatis! Clamat homo nudus, & tu ſollicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias. Panem poſtulat homo: & equus tuus aurum ſub dentibus mandit. Delectant te ornamenta pretioſa, cùm alij frumenta non habeant. Vitam populi poterat annuli tui gemma ſervare.

¶ *Quàm ſtricti interdum vel ij, qui ſpiritum profitentur.*

Eleemoſynas quidam non faciunt, qui alia operoſiora faciunt. *D. Baſil. hom. 2. in divit. avar.*

Videre eſt quoſdam ad mortificationes, & labores expeditos, ac paratos ad jejunia, flagellationes, peregrinationes, &c. Ad omnia, in quibus ſumptus non requiritur, omnem ſine ſumptu pietatem oſtendent, inquit Baſil. egentibus verò ne obolum quidem præbebunt.

Matth. 19. *Orig. in Car.* *D. Thom.* *Euthym. ib.*

Bonus ille juvenis evangelicus præcepta quidem ſervabat, ſed ubi primùm audivit: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, abiit triſtis,* vel juxta Hebræos ex Orig. relato à D. Thom. in Cajet. *Cœpit ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei.* O quot! ô quot huic perſimiles, qui ubi non agitur de eleemoſyna, aut aliquid erogando, vivunt læti, ſervant præcepta, & diligunt proximum! Sed ut ait Euthym. quaſi nullum ei inferendo nocumentum, non quaſi dividendo ſuas cum eo poſſeſſiones (veluti hic juvenis diligebat) hoc enim, ſubdit, excelſum eſt, & ſupra Judaïcam in humum depreſſionem. Benè ergo ambulant, vel ut meliùs dicam, & verè dicam ambulare videntur in præceptis, ſed ubi hoc tangitur conſiliũ: *Vade, vende, & da pauperibus,* claudicant, abeunt triſtes, ſcalpunt caput. Ubi notandum, pravam hanc diſpoſitionem ad conſilia magnum eſſe indicium, quòd præcepta ipſa non ſerventur: ſicque Hilar. Ambr. Aug. Beda. Theoph. & pleriq; Græcorum ajunt, ut jam ſuprà tetigimus, hunc juvenem non ſervaſſe, ac mentitum eſſe: ſi enim dilexiſſet proximum, ſicut ſeipſum, inquit Hieron. opere compleſſet, & non eſſet triſtis, cùm ſua dare pauperibus juberetur.

Hilar. can. 19. in Matth. *Ambroſ. in Luc. 18.* *Aug. ep. 89.* *Beda, & Theophyl. hoc loco.* *Hier. ibid.* *Pſal. 118.* *Hebr.*

Quomodo dilexi legem tuam, Domine. Pſalmo veluti titulus eſt littera *Mem.* Hebr. *viſcera charitatis.* q. d. qui hæc non habet viſcera, præcepta non ſervat.

S. Chryſoſt. hom. 19. in 1. ad Cor. *3. Reg. 17.*

Quid miſeri dicemus? quid educati in ſchola Chriſti reſpondebimus, cùm in Judicio ſurget vidua Sareptana gentilis, quæ nunquàm Evangelij verba audivit: *Quod uni,* &c. quæ licèt potiùs cum morte, quam cum fame contenderet, ut dicit Chryſoſt. cùm nihil illi ſupereſſet, quàm parum farinæ cum filio comedere, & mori: & tamen mater, in extrema neceſſitate cum filio, ſolâ internâ voce admonita dat, quod habet. Quid, inquit, nos qui in extrema neceſſitate non ſumus, quin Dei gratia abundamus, poſt inſpirationes, conſilia, præcepta, eleemoſynam non facimus?

¶ *Cum miſericordibus videtur non exactè, ſed curſim, ut dicitur, Deus rationes exquirere.*

PUNCTUM LXXXIII.

Eleemoſynariis rationes Deus obiter ſpectat. *Iſai. 43.*

QUi poſt prandium rationes percurrit, videtur, quòd condonare vult. De quodam rationes reddituro, quaſi eum culpans Dominus, ait: *Adipe victimarum non inebriaſti me.* q. d. Debebas me victimis inebriare, & rationes pro tuo libito percurriſſem.

Quæ victimæ, & quæ ſacrificia ſunt hæc? A. *Hebr. 13.* Apoſt. *Miſericordiæ, & communionis nolite oblivíſci: talibus enim hoſtiis promeretur De⁹;* *Alij.* vel ut alij legunt, *Placatur Deus.* O pietatis opera, quæ Deum inebriant, ut rationes percurrat! &c.

Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et quid operit peccata? Apoſt. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Iob. 22. *Vatabl.* *Cajet.* *Erit omnipotens contra hoſtes tuos.* Vatabl. *Aurum tuum erit omnipotens.* Cajetan. *Erat Sadaï in theſauros tuos.*

¶ *Eleemoſynarij prædeſtinatorum ſignum habent.*

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Sunt ergo filij Dei, & electi. Sic Apoſt. *Induite, ut electi, viſcera miſericordiæ:* Immiſericordes autem præſcitorum characterem habent.

Eſt hæc obſervatio D. Gregor. Ut Samuël ungeret David in Regem Iſraël, *1. Reg. 16.* *David aliter unctus, ac Saul. Quo myſterio?* *Tulit cornu olei, unxitque eum in medio fratrum ſuorum.* Sed ut ungeret Saül, *Tulit lenticulam olei, unxitque eum in extrema parte civitatis.* Quid hæc ſibi volunt diſcrimina in duorum Regum Iſraël unctione? Inquit Gregor. non eſſe hæc tam diſcrimina, quàm myſteria. Lenticula parvum eſt vas, ſed cornu majus. Hoc in prædeſtinati caput, & in medio civitatis effunditur, quò circumquaque oleum miſericordiæ diffundatur: illud autem anguſtum in caput reprobi, & in angulo civitatis, qui vix erga aliquem ſit miſericors, idque non tam ſit affectu charitatis, quàm carnis.

Iob 31. *Miſericordia in pauperes ſoror gemella Jobi.* *D. Greg. ib.* Ut Job hoc ſignum prædeſtinatorum habebat! *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris egreſſa eſt mecum.* Soror gemella, & contemporanea Jobi miſericordia. Ubi Gregor. In prædeſtinatis cum ætate corporis creſcit ſimul ætas virtutis. Prædeſtinati non excreſcunt in ſuperfluis impenſis, ſed in miſericordia, ſe ſe reſtringunt in reliquis ſumptibus, ſed effundunt in eleemoſynis.

A. *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & campatiebatur anima mea pauperi.* *Septuag.* Sept. *Gemui videns virum in neceſſitatibus.* *Alij:* Alij: *Contriſtabar.* Alij: *Vrebar.* Alij: *Lacerabar, diſcruciabar.* Filiorum Dei viſcera. At præſcitorum ſigna, viſcera crudelia, &c. Pia viſcera Job vel ab ipſis incunabulis. *Ab infantia crevit mecum miſeratio.* *Septuag.* Septuag. *A juventute mea enutriebam, ut pater.* *Vatabl.* Vatabl. *Pupillum,* B *& orphanum enutriebam, ut pater, & de ventre matris meæ dux eis fui.* Sic puer ut eram, curam eorum gerebam, quaſi pater colligebam, amplexabar, fovebam, ut meliùs noveram, exemplum dabam, exemplo præibam, erudiebam. *Dux eis eram.* Hi erant fructus in ætate acerba, quinam fuerunt in matura? Electis ut foris ætas corporis, intùs, ſi diei licet, creſcit ætas virtutis, inquit Giegor.

C

Eleemoſynam erogare, inquit Chryſoſtomus *ars eſt omnium quæſtuoſiſſima.*

PUNCTUM LXXXIV.

D *Chryſ. eadem hom.* QUid, inquit, quis pertimeſcit, ne pauper evadat, ſi eleemoſynam faciat? *Eleemoſynarum erogatio ars diteſcendi.* Eleemoſyna non depauperat, ſed eſt vera ars diteſcendi.

Cor. 9. *D. Thom. ib.* *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Ad litteram ex D. Thom. loquitur de eleemoſyna. Hoc eſt ſeminare in benedictionibus, in quibus, inquit *D. Anſel. ib.* Anſelm ſemel ſeminans, bis metet, interE dum vel in hoc ſæculo: *Et multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Quid eſt, quòd fruges noſtræ non augentur? quia in benedictionibus non ſeminamus.

Iudic. 14. *De comedente exivit cibus.* Id eſt, de paupere, qui tuum panem comedit, tibi cibus venit. Ænigma eſt, quod non intelligit avarus, ſed veriſſimum eſt.

Qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN